

(x 187 8959)

II A
4282

R. 511, 5

FACULTATIS JURIDICÆ
DECANUS
idemq;
ORDINARIUS
CASPAR ZIEGLERUS
J.U.D. Confil. Elect. Saxon.
Benevolo Lectori.
S.

BIBLIOTHECA
PODICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



FACULTATIS JURIS
DECANUS
idem
ORDINARIUS
CASPAR THEOPHILUS
IUD. CORR. PLO. SAXON.
Lipsiae





Væ hodiè utrinque magnâ
cum contentione inter
Franciæ Regem & Pontifi-
cem Romanum agitur,
controversia circa religio-
nem & jus sanctum, quod
legatorum suorum hospitio
in ipsâ Urbe Româ asser-
tum cupit ille, hic verò de-
negat prorsus, & quod an-
te hac factum, inter corru-

ptelas ex pravâ indulgentiâ natas refert, suspensos adhuc
tenet animos omnium, & ancipiti ex eventu quid tandem
expectandum sit, incredibili cupiditate accendit. Etsi ve-
ro nobis, qui in scholis versamur, & umbratili tantùm ali-
quâ juris publici notitiâ imbuti sumus, haud constet de ra-
tionibus, quæ in hoc argumento moveri utrinque soleant,
ex memoriâ tamen rerum gestarum, tum & politicorum
regulis poterunt applicari nonnulla, quibus fortior fieri
queat alterutrius causa. Quæ de sancto legatorum jure,
non hominum tantum præsidio, sed divinâ etiam justio-
ne vallato, deque hospitiorum immunitatibus in hanc rem
adduci argumenta possent, longiùs petita videntur, nisi
quod in injuriam Legati cessurum aut dignitas saltem ejus
haud parum lædi censeatur, sicubi in ædibus quas inhabi-
tat ille, à magistratu loci non sine tumultu, uti fieri plerum-
que solet, prehendi maleficii reum oporteat. In Principem

redundat, quicquid ejus Legatō vel honoris, vel injuriæ
aut molestiæ infertur, nec debet adeò in domicilio Legati
committi quicquam, quod Principi grave aut minus com-
modum videri posset. Et sub hâc interpretatione, nisi fal-
lor, accipiendæ sunt ædes liberæ, quas Legatis datas Ro-
manarum rerum Scriptores docent, liberæ inquam, non
ideò tantùm, quod nulli alii vel inquilino, vel habitatori
servirent, nec etiam, quod nulla ab Legatis pensio esset
solvenda, aut, uti non nemini placuit, quod nullâ militum
custodiâ munitæ essent, sed eam præcipuè ob rationem,
quod Senatus populusqve Romanus eas quasi exfortes
tantisper, dum Legati inhabitarent, & immunes prorsus
atqve imperio suo solutas haberent. Sed præsto sunt alia,
quæ magis faciunt ad rem præsentem, quæqve rubore
suffundere poterunt Pontifices Romanos ingratos admo-
dum, & beneficiorum acceptorum immemores planè.
Finiente seculo octavo ingens conversio statûs, & incli-
natio communium temporum maxima sese exeruit in
Italia. Non alii subjecta hæctenus fuerat Urbs Roma,
cum quibusdam aliis numero paucis in Italiâ civitatibus,
nisi Imperatoribus, qui Constantinopolin sedem Imperii
transtulerant, & reliquias istas in Occidente per Exarchos
eò missos regebant. Populus itaqve Romanus, cujus præ-
cipuus civis erat Episcopus, cum se desertum videret à
suis Imperatoribus, & Longobardos cervici suo immi-
nentes haberet, excusso Imperatoris jugo, & spreto Exar-
chi vicariatu in libertatem se vindicavit primùm, mox
verò, cum nec tutam eam nec diuturnam fore suspicaren-
tur, Carolum Magnum Franciæ Regem in partes vocavit,
eique sub patritiatus dignitate Urbem suam subjectam fe-
cit. Etsi verò patritii nomen eo tempore, quo in Con-
stantini Magni aulâ recipiebatur primùm, non nisi dignita-
tis

tistitulum denotaret, in Carolo tamen ipsam exarchalem potestatem significabat, propter quam etiam honore eo, qui exarchis debebatur, Romæ à Senatu populoque exceptus fuit. Exarchi autem dignitatem eximiam planè fuisse, & inter Palatinas atque Imperatorias functiones tantum non præcipuam, nemo est qui nescit, cum de ipsâ etiam Pontificis electione arbitrandi potestatem habuerit. Et ut maximè ex patritii dignitate tanta fortè potestas ad Carolum devoluta non fuerit, negari tamen nequit, ei jam ante impetratam Imperatoriam majestatem in ipsam urbem Romam multum fuisse potestatis, quam ipse etiam Leo Pontifex Hadriani successor subinnuit, dum per Legatos suos ei claves confessionis S. Petri ac vexillum Romanæ Urbis cum aliis muneribus misit, rogavitque ut aliquem de suis optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem atque subjectionem firmaret. Accessit deinceps titulus haud paulo plenior, dum hic ipse Carolus Romam religionis ergo profectus subito atque improvise in æde sacrâ à Leone Pontifice & civibus Romanis Romanorum Imperator Augustus salutatus fuit. Et hoc titulo collatum illi jus omne in Urbem, Pontificem ipsum, & quicquid denique Romæ ad summum imperium referri potuit. Cùm verò talis tantusque fuerit Carolus, injurium profectò erit, successoribus ejus in urbe Româ, cujus is dominus fuit, ædes liberas denegare, nec pati velle, ut Legati illorum immunitate Regiâ gaudeant. Exiguum est quod petitur, tutelarum scilicet securitas, & ut liceat Legatis Regiis, tum & illis, qui ad eos se recipiunt, intra non multos unius ædificii parietes extra periculum esse. Quod ut maximè concederet Pontifex, nunquam tamen id assequetur ingentium beneficiorum numerum ab Galliæ Regibus antehac acceptorum, & nec cum millesimâ

quidem eorum parte adaequari poterit. Multum glori-
antur Romanae Curiae Gnatones & eximie sibi placent in
recitandis donationibus, quibus non solum erga Pontifi-
ces sed etiam erga Sedem Apostolicam, quam vocant, be-
nefici extiterunt Francorum Reges. A Pipino donatas
recensent tres provincias, Picenum, Flaminiam, & Aemi-
liam, & in iis viginti praecipuas civitates, inter quas praeter
ceteris Ravenna, Bononia Ancona & Ferrara eminu-
erint. Carolum Magnum ajunt non confirmasse tantum istam
Pipini beneficentiam, sed Tusciam insuper cum insula
Corsica, Capuanam provinciam sive Campaniam, Bene-
ventanum & Spoletanum Ducatus & provincias Venetia-
rum & Istriae antiquis donationibus adjunxisse. Ad exem-
plum horum suorum majorum non minus liberales fuisse
referunt Ludovicum Pium & Carolum Calvum, dum
ille Sardiniam & Siciliam hic reliquam Apuliae partem &
Calabriam a Saracenis & Graecis Ludovici II. armis ere-
ptam Ecclesiae Romanae concessit. Etsi vero adversus istas
donationes agitata sint saepe numero perquam multa, de-
ficientibus praesertim instrumentis, quibus earum fides
adstrui debeat; non est tamen, ut in praesenti argumento,
quod ex propriis Curiae Romanae placitis firmari debet,
eas in dubium vocemus. Concedamus enim vero factas
eas fuisse, uti recenseri a plerisque etiam a nonnullis cum
augmento solent; sed inferamus inde simul, destitui viri-
bus Ecclesiam Romanam, nec suppetere illi facultates,
quibus cum Gallorum Regibus decertare posset, nisi bene-
ficentiae & donationis titulo isti immensam beneficiorum
suorum molem in eam contulissent. Ecquid vero vicis-
sim pro tam liberali effusione a Sede Romana acceperunt
Galliae Reges? nil certe nisi nomina atque titulos damni ni-
hil facientes, ac in nuda syllabarum combinatione con-
sisten-

sistentes, quod Christianissimi, quod advocati & defen-
sores, quod primogeniti Ecclesiae Romanae dicti fuerunt
& verba insuper, quibus Pontifices Romani post relatas
amplissimas gratias honorificentissime de Regibus Fran-
corum ac de eorum eximiiis in Sedem suam officiis subin-
de perorarunt. Speciosa sed inania sunt verba, quae ad Pi-
pinum Regem scripsit Paulus I. Pontifex: Etsi omnes ca-
pitis nostri linguae effecti fuerint, non valebunt ob tanta
vestra beneficia dignas referre gratiarum actiones. In
verbis tantum & lingvarum praeconiis sua consistere vult
Pontifex officia; facto ubi opus est, etsi innocuo & omnis
jacturae experti, quae est hodie liberi hospitii concessio,
omnis cessat in aula Romana, & prorsus extincta est gra-
titudinis debitae memoria. Nec verò quisquam mihi hic
regerat, ad Carolum tantum ejusque familiam restringen-
dam esse Pontificum, si qua statui debeat, obligationem,
quod solis istis, qui ab eo descenderunt, accepta ferenda
sint collata beneficia, nec pertinere adeò eam ad Reges
hodiernos ex aliena stirpe ortos. Quis enim nescit vul-
gatum istud in politicorum scholis assertum, quod con-
cessionem & conventionem non ex causa privata, sed
propter usum & necessitatem publicam initae successores
etiam in officio obligent. Uti Francorum Reges Pipinus
& Carolus istas suas donationes perpetuas esse voluerunt,
ita & a Sede Romana vicissim perpetuam expectarunt be-
nevolentiam, quam ipse non pro se tantum, sed etiam
pro successoribus suis promisit supra dictus Paulus pri-
mus. Sed statuamus licet, nihil quicquam istas do-
nationes facere ad rem praesentem, & impune nunc ista-
rum memoriam aboleri, succurrit tamen ex hodierno-
rum Galliae Regum indulgentiam maximi momenti res alia
Episcopis quidem Romanis utilis admodum & valde pro-
ficua,

AKT 4282

ficua, sed monarchiam Gallicam attenuans nonnihil &
 arrodens. Habet nempe Pontifex Romanus jam inde ab
 aliquot seculis in ipsis Galliae visceribus Avenionem civi-
 tatem cum adjacentem comitatu Venusino eamque pro lubitu
 regit ipse solus ac gubernat. Idque in aestimabile judicat,
 qui vitam Clementis VI. descripsit, quod non habeat Pa-
 palocum alium in toto terrarum orbe, in quo liberius atque
 securius dominetur. Qui vero ita in alterius Regno inte-
 grum summam cum potestate territorium possidet, incivi-
 litatis certe ne quiddeterius dicam, argui poterit, si non
 vicissim in sua civitate alteri illi aequali jure concesserit spa-
 cium aliquod haud ita magnum, & vix centenos passus
 comprehendens. Quod si rerum gestarum memorias
 diligentius anqvistiusque excutere liceat, inveniemus,
 Pontificibus Romanis perpetuum refugium & praesidium
 fuisse penes Francorum Reges. Ita namque Stephanus II.
 ab Aistulpho Longobardorum Rege vexatus a Pipino re-
 ceptus, ac in Sede sua maximo cum honore restitutus
 fuit. Idem praestitit Karolus Magnus Leoni III. a sediti-
 osis civibus suis lacesito, & contumeliosissime habito.
 Ludovicus Pius suscepit ac tutatus est Stephanum IV. per-
 secutionis causa fugientem. Johannes VIII. Pontifex re-
 cesit in Gallias, ut a Ludovico Balbo adversus Lamber-
 tum Ducem Spoletanum suppeticas impetraret. Idem le-
 gitur de Paschali II. de Gelasio II. de Innocentio II. de Ale-
 xandro III, & aliis Episcopis Romanis, quibus omnibus
 misere vivendum fuisset, nisi defensores salutis, adscri-
 ptosque dignitatis suae Reges Galliae invenissent. Et quo-
 modo poterunt igitur hodierni eorum successores sine in-
 gratitudinis labe denegare id, quod ab antecessoribus sine
 dubio prolixissime concessum fuisset? Asylum eis tu-
 tissimumque semper receptaculum, fuit integrum
 Galliae

107



Galliæ Regnum. Non integram civitatem Romam
sed unicas in eâ ædes sibi eodem jure adaptari petit
Ludovicus, proportionè certè vix in sensûs incurren-
te. Neque has tamen dare vult ingratus Innocentius.
Et quid verò tandem de consuetudine jam inveteratâ
dicamus, per quam longo jam usu invaluit ista, quæ
nunc in dubium vocatur, libertas. Non enim cum
subdito res est Pontifici Romano, ut consuetudinem
receptam abrogare lege novâ queat, sed cum poten-
tissimo Rege, cui jus per consuetudinem acquisitum
destruere nullâ ratione licet. Papirii Jcti sententia
est, tolerabilia esse, quæ vetus consuetudo comprobat.
Quod ergò veteri exemplo atque instituto hucusque
obtinuit, nec adeò grave esse poterit Curia Romanæ,
potius erit, ut retineatur adhuc, quàm ut periculo ex-
ponatur amicitia inter partes hæctenus culta. Videat
Roma, ne sit periniquum & parum justum, permit-
tere ut ipsa DEI templa, & Episcoporum ædes, scele-
rum custodiam agant ad audaciam novorum facino-
rum & infamiam religionis, nec tamen concedere, ut
Ecclesiæ Romanæ patronus atque Defensor eadem
cum Episcopis utatur conditione, & æquali gaudeat
immunitate. Et hæc nisi fallor sunt summa capita,
quæ ex partibus Regis considerari in scholis poterunt.
Sed nec desunt forte, quæ ad Pontificiam causam ju-
vandam allegari è contrario queant. Repræsentant
ejus defensores, tales hodiè non esse Reges Galliæ,
quales fuisse olim historiarum doceant monumenta,
Summo ab eis & tantùm non divino honore affectos
fuisse Pontifices, obviam eos Pontifici factos ex equis
descendisse, peditesque Pontificis equum ad diverso-

B

rium

rium usque duxisse; hodie verò tale nihil sperari posse, Regibus non Pontificum amplius, sed suam tantum potentiam summo cum studio augentibus. Sub specioso libertatum Ecclesiasticarum nomine plerumque detrahi auctoritati Ecclesie Romanæ: Petrum Apostolum ex Urbe Româ universam Ecclesiam leges accipere voluisse; sed tres in Galliâ Petros, Pithœum, Puteanum & Marcam libertatibus istis suis quas descripserunt, Ecclesias Gallicanas exemisse, & hos a Regibus suis auditos nec prohibitos fuisse: eodem tendere appellationes tanquam ab abusu, nullibi nisi in Galliâ introductas & Regum auctoritate firmatas, quæ eum pharmacum esse debeant, in venenum degenerant & perniciem Ecclesie Romanæ. Nullibi despiciatui magis haberi sua diplomata, nullibi minus terrere excommunicationis fulmina, nullibi interdictorum tabulas valere minus, præterquam apud Gallos. Decreta sua & decretales epistolas alibi ab omnibus recipi & veluti oracula observari, ut etiam legibus Imperii quandoque præferantur; ubi verò ad Gallos venerint, flaccescere earum vim, & pro inani verborum congerie haberi. Magnâ cum animi ægritudine expertum id fuisse sub Philippo Pulchro Rege Martinum V. Pontificem, sub Carolo VII. Pium II. sub Ludovico XII. Julium II. sub Francisco I. Leonem X. recentiora exempla non posse sine ingenti dolore recenseri. Quod si coercendo isti fastui severius quid in Consistorio Pontificis statueretur, totam illico ardere Galliam, & vel ad Concilium provocari frivole, vel de patriarchâ Ecclesiis Gallicanis præficiendo vanum & inanem in vulgus spargi rumorem. Angelis se imperare posse, Gallis neutiquam
plus

plus apud eos valere pepulum fluentem, quam Petrum
corripientem. Quam adstrictè insuper in Galliâ habe-
antur legati & nuncii Apostolici, involvendum magis
esse silentio, ut ignominia, quæ inde redundat, obte-
gatur, quam inanem ex eâ re movendam querelam.
nec enim mandata tantùm Legatis data, facultates vulgo
vocant, statim ab initio ab Regio Senatu examinari &
circumcidi solere, sed etiam, cum è regno discedunt,
eos acta legationis suæ & ipsum insuper sigillum, quo
usi fuêrunt, edere teneri, cum è diverso Legati Regis
Romam venientes, procaces admodum & protervi
existant, & nihil non sibi licere opinentur. In recen-
ti adhuc memoriâ esse, quantâ cum jacturâ tum ho-
noris, tum facultatum unius Cirnei militis petulan-
tiam in Crequium Legatum Regium commissam luere
oportuerit. Summa illuc pertinet, injurium esse, ini-
quum, & ab omni honestate alienum, patrem à filio,
Christi vicarium ab Laico, pastorem ab ove, Domi-
num à subdito leges accipere, eumque, cui totus ter-
rarum orbis in peculium datus est, ad certas conditio-
nes adstringi debere. Liberam cuique in suâ domo
esse administrationem, nec pati debere patremfami-
lias turbationes imperio suo ab inquilinis excitatas:
mundum nec duos Soles nec Romam duos imperan-
tes ferre posse: habeat sibi Rex Franciæ Galliam su-
am, Romam suam esse, nec alterius agnoscere arbi-
trium. Dicit fortè in eam rem possent plura, sed quæ
aulicis magis, quam Academicis disceptationibus con-
veniunt, quibus ipsis universam hanc controversiam
relinquimus decidendam. Nos, qui in ultimâ caveâ
sedemus, jucundissimo huic spectaculo mentes atque

oculos adhibebimus, & eventum otiose atque secure
expectabimus. Certum est interim, ingratitude
vitium nullibi magis quam in curia Romanâ sese exse-
rere, & ei quasi proprium esse. Si reputare secum ve-
lint Pontifices, quibus autoribus suam istam poten-
tiam, quâ hodie eminent, acceperint, Imperatoribus
Romanis primùm acceptam eam referre oportebit.
Sed quotusquisque est, qui id agnoscat, quive bene-
factoribus suis gratiam justis honoribus & memori-
mente persolvat. Olim Episcopi Romani ab Impera-
toribus approbari solebant, cum essent tenuiores, ne-
que tam pingvi patrimonio insisterent; amplificati ve-
rò non solum arbitrato suo regere coeperunt, verum
etiam eò rem deduxerunt tandem post acerrimas con-
tentiones, ut eligendi quidem jus Germaniæ principi-
bus permittant, confirmandi verò potestatem sibi pro-
priam esse dicant. Olim Imperatoribus subjecti erant
Pontifices Romani, neque Imperatores ad eos legatio-
nes mittebant veneraturi, sed Pontifices ab Imperato-
ribus expectabant consensum, quem humiliter pete-
bant, priusquam auderent se gerere pro Episcopis Ro-
manis; hodie verò Pontifices inverso ordine Impera-
tores sibi subjectos esse cupiunt, & ab eis fidem per-
jusjurandum exigunt, suo & Ecclesiæ Romanæ benefi-
cio ad illos Imperium pervenisse contendentes. Quod
beneficii nomen, etsi Hadrianus IV. Pontifex in mitio-
rem partem interpretatus & Friderici Barbarossæ ani-
mum delinire conatus fuerit, mansit tamen de superio-
ri Pontificis potestate controversia inter utriusque se-
cæ politicos etiamnum agitata. Sed ita quasi aliud a-
gendo delabor in argumentum, quod profusiori stylo

exa-

exagitare secum constituit CANDIDATUS noster
Vir juvenis Clarissimus Dn. EUTHALIUS SIGIS-
MUNDUS Schorer / cui honores Academicos am-
bienti studia nostra meritò navamus. Et quia mos fuit
apud Romanos olim, ut qui in Senatu Candidatum
produceret, bonum vel optimum Virum diceret, fa-
ciam & ego, ut quæ extantiora in vitâ ejus antea actâ
fuerint, publico hoc programmate unicuique nota fiant.
Memminga civitas est Imperialis perquam amoena & ex
salubritate commendata, quæ Candidato nostro spiri-
tum dedit primùm, & anno M.DC. LXIV. d. 16. Octo-
bris nascentem excepit. Ut maximè enim exigua sit
gloria, quæ ex patriæ celebritate nascenti contingit, tales
samen esse solent hominum mores, qualis est locorum
ficus, ubi degunt. At Svevi, quibus Memminga colitur,
jam olim præstantissima Germanorum gens dicta Plu-
tarcho, & Svevis ne deos quidem immortales pares esse
posse, Julii Cæsaris ætate creditum fuit. Haud paulo so-
lidior laus ex familiæ celebritate agnascitur quippe
quæ sanguinem propius attingit & animum pariter at-
que mores ad exemplum format. Pater ei fuit DN.
CHRISTOPHORUS Schorer / PHIL. & MED. DOCT.
Serenissimi Principis GEORGII Ducis Württemberg
& Tecc. Comitum Montisbelgard. &c. Consiliarius & Ar-
chiater, Reipublicæ patriæ Physicus ordinarius atque
Scholarcha: Mater MARIA FELICITAS Lupin / foe-
mina in omni virtute præstantissima. Avos habuit &
paternum & maternum Viros in civitate suâ amplissi-
mis honoribus functos & regendæ Reipublicæ peritissi-
mos, illum quidem CHRISTOPHOR. SCHORERUM,
utriusque juris Doctorem & Syndicum, hunc ve-
rò, EUTHALIUM SIGISMUNDUM Lupin /

Consulem & Scholarcham. Altiùs ut adscendamus, & proavos etiam atqve abavos recenseamus, nulla ratio svadet quandoquidem propriâ magis niti virtute deceat, quàm titulis & encomiis majorum. Nec ad virtutem tamen cuiquam patet aditus, nisi usu & exercitatione sua tirocinia probe posuerit, sibiqve artes, quibus emergere animus est, reddiderit familiares. Id cum non nescient Candidati nostri parentes, nihil antiquius habuerunt, quàm mollem adhuc ita formari filii sui animum, ut referret, quàm cum cœlo duceret familiam, Præceptoribus igitur eum subicere destinarunt, & quidem in scholâ patriâ conficientissimâ literarum & nunquam otiosâ, bono sanè consilio, quod qui studia vagabundi circumferunt, & ex privatâ informatione multum se proficere posse putant, Præceptores plerumqve habent multos, Doctorem neminem. Adiit igitur & audit ibi docentem tum temporis Rectorem, nunc Ecclesiasten, Dn. JOH. CONR. HERMANNVM, cui maximam studiorum suorum partem se debere gratâ mente agnoscit. Hanc eandem gratiam refert Rectori alteri Dn. CHRISTIAN. SEIFRIDO & ab utroq; artes, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet, se didicisse profiteretur. Utriusqve scilicet sententiæ familiariter in memoriam receptæ ipsum formabant indies, & in ea quæ didicerat, animum quasi transfigurabant, ut in adolescentiæ & in juventæ lubrico non aliorum nisi in rectum perduceretur. Hoc modo ad altiora directo cursu autoritate eorum nec non auspiciis parentum & propinqvorum Jenam se contulit, & ibi Professorum lectiones publicas, & privata visitans collegia, per eorum, imprimis DN. NICOLAI
LYN-

LYNCKERI, Dn. JOHANN. VOLCMARI BECH-
MANNI, DN. BALTHASARIS ROTHII, &
DN. PETRI MÜLLERI, Virorum in disciplina juris
atque legibus populi Romani interpretandis, tum & i-
psius iustitiæ atque æqvitatibus explicandis ver-
satissimorum sic transiit vestigia, ut auderet publicis
probare disputationibus, quid ab eis didicisset. Sub-
stitit ibi per annos quasi quatuor, & tum Lipsiam pro-
fectus clarissima ibi Jurisprudentiæ Lumina DN. JA-
COBUM BORNIUM, & BARTHOL. LEONHARD.
SVENDENDORFFERUM, DN. AUG. BENEDICT.
CARPZOVIVM & DN. ANDREAM MYLIUM in
oculis habuit, & ex eorum luce suas accendit lucernas,
faces simul admoventibus DN. CHRISTIAN. GOTTFR.
BERGERO & DN. LUDERO MENCKENIO, quorum
privatâ usus fuit informationes VVittebergam no-
stram cum venisset, quod nuperè admodum contigit,
Viri Consultissimi DN. VVILHELMI LYSERI Collegæ
nostri conjunctissimi pluteis præcipuè adhæsit privatam
simul jungente operam DN. JOH. CASPARE BREN-
DELIO, quem quoad hic fuit, audivit assiduè. Excun-
te anno superiori inter Candidatos nomen suum profes-
sus honoris gradum petere cœpit, & ad examen admis-
sus talem se exhibuit, ut ulteriora ei exercitia publica de-
negari haud potuerint. Cras igitur DEO volente horâ II.
post meridiem lectione cursoriâ explicabit *L. 17. C.
Locat. Conduct.* manè autem finitâ concione
Orationem habebit de *Questione; An imperator
Romanus sit Vasallus Pontificis.*

Cui

Cui panegyri solenni ut Patres Academici, & Cives reli-
qui, qui Jurisprudentiæ bene cupiunt, interesse haud gra-
vati, in velint, maximopere rogo atque contendo,

P. P. d. 5. Febr. cl. loc. xxxiix.



no





ptelas ex pravâ indul
 tenet animos omniu
 expectandum sit, inc
 ro nobis, qvi in scholi
 quâ juris publici noti
 tionibus, quæ in hoc
 ex memoriâ tamen re
 regulis poterunt app
 queat alterutrius cau
 non hominum tantu
 ne vallato, deqve hos
 adduci argumenta po
 quod in injuriam Leg
 haud parum lædi cen
 rat ille, à magistratu lo
 que solet, prehendi m

